



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

CXXVIII. Differentia 19. In petenda restitutione in integrum per  
procuratorem secundùm Canones sufficit mandatum speciale, nec  
requiritur specialiſſimum,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 19.

In petenda restitutione in integrum per procuratorem secundum Canonem sufficit mandatum speciale, nec requiritur specialissimum, c. Coram, de rest. in integr. Iure civili autem mandatum specialissimum necessarium est, puta, in tali causa contra talem. Cynus & DD. in l. un. C. Etiam per procur. causam in integr. &c. Ioann. Bapt. à S. Blasio 185.

Glossa in c. cit. Coram, plures casus enumerat, in quibus non sufficit mandatum generale procuratoris simpliciter constituti ad causam puta, primò in causa suspecti tutoris, c. Non solum, de procur. secundò in transactione, l. Mandato, ff. eod. tertio in interdico de liberis exhibendis, l. 3. ff. de lib. exhibend. quartò, cum quis reliquit duos procuratores omnium rerum suarum, alter ab altero non potest exigere sine speciali mandato, l. Qui duos, ff. de procur. Denique in casu nostro de petenda restitutione in integrum per procuratorem: ubi non sufficit mandatum generale, sufficere tamen speciale, nec requiri specialissimum, c. cit. Coram, textus docet. Nam Honorius Papa, cum legatos Archiepiscopi Braccatenensis primò rejecisset, quia non præstiterant iusta, tandem admisit illos ad beneficium restitutionis, pro qua mandatum speciale attulerant. Quod verò Ioann.

Bapt. à S. Blasio addit, Iure civili mandatum specialissimum requiritur, nonnullis quidem traditur, sed Bartolus speciale putat sufficere in l. Paulusam, ff. de donat. Et ne hoc quidem, sed generaliter constitui possit Baldus censet, uti à Gotofredo adducitur in cit. l. un. Etiam per procuratorem causam, &c. An hoc perpetuum, ait (ut procurator mandatum speciale habeat) negat Baldus præsertim cogi, posse dominum ut ita constituat: Constituo te procuratorem ad petendam restitutionem in integrum in tali causa contra talem. Putat igitur sufficere, si generaliter ad petendam in integrum restitutionem datus sit V. Wamserum l. i. pr. Etiam, observat, cit. 25. obs. 3 ubi à procuratore non habente mandatum speciale, saltem incidenter, restitutionem in integrum peti posse concedit.